

perfecta. E. nec Summum Bonum perfectè quoad consecutionem datur. Favet huic Christianæ sive expositioni sive extensioni ἀκρίβεια Logica Dn. Thomasi, qui verba illa ultima: ἐν βίῳ τελείῳ, in vita perfecta, omittit Philos. Pract. Tab. V. quia tantum spectant ad existentiam Summi Boni.

§. 21. Statum naturalem sive rectum Idem describit Tab. XXXIII. l. c. quod fit, qui sequitur naturæ perfectionem & virtutem; contra, aberrantem sive Legalem, qui sequitur naturæ imperfectionem aut vitium. Ubi observandum, quod in descriptione status naturalis adhibeatur particula copulativa ET: in aberrantis verò, disjunctiva AUT. Hoc nimirum ideò fit, quia ad naturalem duæ perfectiones requiruntur, Physica nimirum & Ethica, quarum illam per perfectionem, hanc per virtutem intelligit. Sed ad statum aberrantem alterutra imperfectio potest sufficere.

§. 22. Hòc modò in statu corrupto hodiè geruntur bella, quod non factum fuisset, si in statu integro mansissemus. Omne enim bellum involvit imperfectionem. Sic adserit Grotius Lib. II. Cap. I. num. I. quod causa justa belli suscipiendi nulla alia esse possit, nisi injuria. Quis autem injuriam non habeat pro imperfectione? ut taceam alia. Interim omnia bella publicà autoritate suscepta habent aliquos effectus juris, ut & sententiæ; sed hòc modò Politicè tantum, non Ethicè sunt justa.

§. 23. Similem in modum metus, qui bellò solenni injustè alteri infertur, habetur pro Politicè justo ex jure Gentium. Accidit id in aliis etiam multis, quantumvis vitiò non carentibus. Nam nisi id placuisset, bellis talibus, quæ valdè sunt frequentia, nec modus nec finis potuisset imponi: quod tamen fieri interest humani generis. Dicitur autem, pro Politicè, non Ethicè justo haberi. Nam pactum, sic initum intus manet injustum, adeoquè aut à bono viro est remittendum, aut interna hæc injustitia novò ac verè liberò consensu tollenda. Vid. Grot. Lib. III. Cap. XIX. num. XI. XII.

§. 24. Tandem hìc quoquè meretur notari illa distinctio, inter statum naturalem formaliter & normaliter consideratum. Status naturalis formaliter habet formam hujus status, & est aut fuit ipse status integer, cum olim esset actualis, de quo jam dictum §. 20. hujus Cap. Status naturalis normaliter consideratus nihil aliud est, quam status natura-